

† In Nomine Sancte et Individue trinitatis Amen. Anno dominice Incarnationis domini nostri Iesu Christe millesimo ducentesimo octogesimo octavo dominante herede et successore. dive memorie excellentissimi domini. domini Karoli *etc.* domini vero eiusdem anno tercio feliciter amen. Die Martis nono mensis decembris prime Indictionis aput melfiam. Nos Rogerius de casali Regalis melfie Iudex. petrus de tammaro puplicus eiusdem terre notarius et subscripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati presenti puplico scripto testamur atque fatemur quod constitutis in presentia nostra domino Gauberto episcopo montis viridensis ex parte una. et domino Antelmo de montiliis. et domina Riccarda uxor eiusdem domini Antelmi ex altera. Conscientientibus ipsis expresse et ex certa coscienza in nos predictos Iudicem et Notarium tamquam in suos cum scirent nos eorum Iudicem et Notarium non esse exposuit nobis dictus dominus episcopus. quod cum Idem Episcopus nomine et pro parte dicte Ecclesie montis viridensis exigeret et peteret ab eisdem domino Antelmo et domina Riccarda. decimam reddituum. fructuum et proventuum. Campi. vinearum et aliorum omnium que predictus dominus Ancelmus. et domina Riccarda habebant tenebant et possidebant in terra Carbonarie et tenimento ipsius asserens predictam decimam sibi deberi de Iure nomine et pro parte ecclesie supradicte. Ab eisdem domino Antelmo et domina Riccarda cum dicta terra Carbonarie esset de diocesi eiusdem ecclesie predictus dominus Ancelmus et domina Riccarda Intendunt nullam decimam eidem Episcopo dari videlicet. Asserentes ipsam dare non consuevisse. et Interdum dabant et solvebant ipsam decimam licet satis diminutam. et sic orta questione multum Inter eosdem episcopum ex parte una et predictum Ancelmum et dominam Riccardam ex parte altera de decima memorata. oportebat eundem dominum episcopum Causari exinde cum eisdem. et sic pro causa predicta vexabatur et